

**N**omen Palatini Rhēni, nomen esse dignitatis & officij credit Munsterus quod Imperatores instituerunt. Sunt enim qui aiunt primos Palatinos simplices fuisse nobiles, vsq; ad tempora Ottonis tertij quando principes Electores fuerunt constituti: tunc enim maior dignitati eorum gradus fuit additus. Nec sine causa Electura non fuit commissa ducibus potentibus qui tunc erant in Imperio, puta duci Bavarie duci Sueviae, Lotharingiae & Brunsvicensi: etiamsi Bavarum temporum successu in familiam suam studuerint hanc dignitatem introducere. hodieque & Palatinatus & Bavarie titulum habeant. Primus Palatinus Elector appellatus fuit Henricus, qui anno Christi 1003. diuum Henricum cum reliquis Electoribus in Imperatorem elegit: Electionis vero prerogativam Palatinatus hac occasione contigisse verisimile est, ut honos is haberetur Caroli posteris ne decus hoc apud Saxones tantum esset, sed pars quoque eius ad Francostransmitteretur, quandoquidem erant Palatini sub id tempus ex genere Caroli Magni. Terra autem haec Palatini Electoris, praeter pagos, monasteria & arces, continet vrbes pariter & oppida 48 quarum primaria est Heidelberg, in qua & principis sedes est. Nomen huic vbi datum putatur a gentium colonia; vocant autem Germani hominem gentilem Henden/Huius loci situs admodum est amoenus, cum sit in fauce montium, vbi Neccharus (qui & Nicer vel Nicrus) ex montibus in planitiem egreditur; neque dubium quin locus ille semper, quam diu Germania habitata fuit, ab hominibus cultus fuerit. Sunt alij qui contendunt dicens & scribendum esse Edelberg, quod sonat nobilem montem alij vero Edelberg quod dicitur meros montes significat. Sunt qui Ptolomaicam Budorim putant olim fuisse Heidelbergam; alij oppidum Manheim per Budorim accipiendum contendunt: nam situm est illud in confluentia Rhēni & Nicri, vbi in Concilio Constantiensi Ioannes papa triennio incarcerationis fuit. Est terra circa Heidelbergam omnium reru ferax, vini boni, frumenti, olei, fructuum arborum, & castanearum. Anno Christi 1346. Rupertus senior princeps palatinus fundavit Gymnasium Heidelbergense, vbi temporum successu in omni scientiarum genere multi docti floruerunt viri. Idem Rupertus (qui & Romanorum Imperator anno 1400. electus erat) extruxit egregium illud eadem in vrbe templum quod Spiritui sancto nuncupatum est, in quo etiam Sepultus requiescit. Praeter ceteros item requiescunt ibi corpora doctiss. virorum Rudolphi Agricola, Sebastiani Munsteri & (qui meo aetate locum istum, celebrem reddiderunt) Guilhelmi Xilandri, Thomae Erasti, Zachariae vrsini, quoque vsus sum Rectore Oluerij Bocchi, illustriss. Princ. Friderici III. Hodierno autem tempore celeberrimi Gymnasij Rector magnificus fuit in adolescentia sua, Fridericus III. pala. Ludouici F. Friderici III. nepos: quem nunc auito folio sedentem ac Palatinum leonem moderantem Deus Opt. Max. nobis diu saluum & incolumem conferuet. Distributus autem est Palatinatus in praefecturas quatuor quas Amptes sua lingua vocant. horum Metropoles sunt Heidelberg, Alzaa, Neostadium & Mosbachium. Bretta quidem oppidum mediocre ad Salzam flum. patria Philippi Melanchthonis, summi liberalium artium magistri qui Portae Hercinae primo in literis versatus admodum puer magno illo Io. Capituou studiorum cursum moderante: primamque doctrinae lauream Heydelbergae, alteramque Tubingae adeptus aetate 16. Sacrarum literarum explicator solertiss. seculi nostri ornamentum singulari, ac decus Germaniae perpetuum futurus. porro quod ad Comitatus huius fertilitatem attinet, nihil quod ad humanum victum necessarium est desideratur in Palatinatu. In montibus enim decoquitur generosum vinum, & simul in e-

isdem





ORIENTIS

OCCIDENTIS

FLORENTIS  
SIMVS RHENI  
PALATINA  
TVS

Colonus Corp. Decanus fons Palatinus



isdem crescunt castaneæ: in pede montium pulcherrimi plantantur horti, & in planis  
 agris copiosa prouenit seges tritici, siliginis, hordei, &c. Syluæ & montes referti sunt  
 feris, potissimum ceruis, quin & incolæ plurimos in syluis nutriunt hircos, hædos &  
 capras, eò quòd hæc animalia syluestribus potius delectantur saltibus quàm pratis.  
 Præterea in Nicro flu. qui medium alluit Palatinatum, innumeri per singulos annos  
 capiuntur pisces, magni & parui, maximè autem abundat barbonibus. Descendunt  
 quoque per hunc fluuium continuè lignorum rates, ex Ottonica sylua, quæ ex Nec-  
 caro in Rhenum deferuntur, atque omnibus ciuitatibus Rheni, à Spira vsque Bingu  
 ad portas vsque deducuntur. Est Ottonica sylua regio syluestris & montosa, cultura  
 quoque difficilis, licet in quibusdam locis amœnas & fertiles habeat valles in quibus  
 tatis frumenti colligi potest. Incolæ pro magna parte viuunt ex pecoribus & qua-  
 stu lignorum. Inter VVormatiam autem, Heidelbergam, Neostadium, Crucenacum  
 & Oppenheim magna patet terræ planities, habens agrum feracissimum vini & fru-  
 menti, nec est in linea Rheni post Sanggoiam, terra aliqua feracior frumenti quàm  
 sit illa, imprimis circù ciuitatem Alzæam. siue Alzheim. Inter Spiram autem & VVor-  
 matiam factus est confictus ille horrendus inter duos Reges, Albertum & Adolphū  
 in quo Adolphus periit anno 1298. Vno à VVormacia miliario distat oppidum Pfed-  
 dersheim, vbi incredibilis vini copia quæstannis prouenit, tantæ præstantiæ, vt Baca-  
 haracensi (cui primas peritissimi potatores tribuunt) nequaquam cedere perhibeatur,  
 Anno Christi 1455 memorabilis ibi accidit clades, cum multi principes conglobati,  
 quorum præcipuus erat Episcopus Moguntinensis, contra vnum principem Pal-  
 Fridericum, omnes ab ipso circumuenti cæderentur: Fuit autem Fridericus il-  
 le eius nominis primus vir strenuus ac militaris nec minori præditus  
 iustitia, ac in multis Tullo isti Hostilio comparandus,  
 vulgò der böse Fritz vocatus. Anno 1525, tris-  
 ginta millium ibidem seditio-  
 sorum rusticorum  
 fusa est copia.

